

rum beátum Deo spírítum réddidit pridie Nonas Mártij anni millésimi centésimi trigésimi sexti. Post cujus mortem sanctus Vincéntius Ferrérius prædicávit quoddam insigne miráculum sub his verbis : Recitémus nunc miráculum de sancto Ollegário Episcopo. Quibus motus Clemens décimus ejus festivitátem sub ritu dúplici celebrári ac recitári indúlsit. Ejus corpus incorruptum adhuc post quinque sæcula in cathedráli Barcinonénsi jacet in quodam sepúlcro marmóreo mirábili arte confécto, ubi honorificentissime cólitur.

℟. Iste est.

In .iij. Nocturno, Homilia. Sancti Evangélii. de Comuni j. loco.

In Quadrag. Lectio ix. de Homilia et Commem. Feriæ in Laudibus.

Vesperæ a Capit. de sequenti, Commem. præced. (Feriæ in Quadrages.) et SS. Perpetuæ et Felicitatis MM.

DIE VIII. MARTII.

S. Joannis de Deo Conf. Duplex ij. classis. Omnia ut in Breviario Romano eadem die.

In j. Nocturno, Lectiones. Beátus vir. de Comuni Conf. non Pont. ij. loco.

DIE XIII. MARTII.

S. Leandri

Episc. Conf. et Doct. (In Dioc. Carthag. Duplex ij. classis.)

Omnia de Comm. Conf. Pont. præter sequ. (m. t. v.) In utrisque Vesperis ad Magnif. Ana. O Doctor. ... beáte Leánder.

Oratio.

DEus, qui ariánam pravitátem doctrína sancti Confessóris tui atque Pontíficis Leándri ex Hispánia propulisti : da plebi tuæ; ut ejúsdem méritis et précbus ab omni errorum et vitiórum labe semper libera conservetur. Per Dóminum.

Et fit Commem. Feriæ. In j. Nocturno, Lectioes. Sapiéntiam. de Comuni Doctorum.

In II. Nocturno.

Lectio ib.

Ex B. Isidoro et Sanctorum Hisp. historiis.

LEánder, Carthágine ex patre Severiáno viro clarissimo ejúsdem Cartháginis dómno ortus, fratres hábuit sanctos Episcopos Isidórum et Fulgéntium, sanctitáte et doctrina præstantissimos, et Florentinam virginem. In eo a téneris annis castissimæ luxit intégritas vitæ et

morum grávitás máxime venerábilis, quam incomparábilis ingénii cláritas illustrábat. Gliscénte eo témpore hæreticórum furóre sub Visigóthis princípibus, qui cum império ariánam impietátem in Hispániam invéxerant et ejus Ecclésiás misere vexábant, públicæ vitæ pertæsus adolescens in religiosum monastérium se recépit, ut in propósito perfectióris institúti sánctius Deo inserviret, et piis stúdiis et meditatióibus in tranquillo sese exercéret. In eo sanctitáte et doctrina ádeo profécitet in omni genere virtútum divinisque et humanis litteris conspicuus evásit, ut Isidórus germánus suus ad Cláudium ducem, de quibusdam articulis ad fidem pertinentibus ínstruens, scripserit : Meménto comúnis nostri doctóris Leándri, et ejus fidem atque doctrinam pro víribus imitáre. Sed nóluit Deus tam splendéntem pietátis et doctrinæ lucérnam in occulto delitéscere, sed in fastigio Ecclésiæ pósitam Hispániæ prælucére. Nam clerico et pópulo exposcén-te, a monastério avúlsus, Episcopus Hispalénsis creátus est.

℟. Inveni David.

Lectio v.

Suscéptam Ecclésiám omni cura ac sollicitudine gubernávit; cleri et pópuli mores ad arctam disciplinam tradúxit : sólemnia Ecclésiæ officia, hymnódiám, sacræ Missæ ritus precésque, quibus eo témpore omnes Hispániæ Ecclésiæ utebantur ordínávit et auxit. A persequénda ariána hæresi prædicatióne numquam déstitit. Monásticum ór-dinem Benedictinum amplifícáre in Hispánia cepit, ac soróri suæ Florentinæ régulam pro institutióne virginum dedit. His et áliis mire gestis, Constantinópolim pro causis fidei Visigothórum legátus profécus est : ubi ob eximiam religiónem et doctrinam apud sanctum Gregórium, Románi Pontíficis apocrisárium tunc ibi degéntem, tanti hábitus fuit tantáque amicitia illi conjúctus, ut ad Romanám sedem póstea promótus, cum Leánder in Ecclésiám suam jam fuisset revérsus, pállii ornámentum miserit, fréquentibus epistolis illum honoráverit, libros in Job, quos illi dicávit, una cum pastoráli, his litteris benevoléntia plenis ad ipsum transmiserit : Quanto ar-

dóre videre te sítiã, quia valde me diligis, in tui tabulis cordis leges. Sed, quia longo terrarum spatio disjunctum te videre nequeo, unum, quod mihi de te dictavit caritas, fuit, ut librum regulæ pastoralis, quem in episcopatus mei exordio scripsi, et libros, quos in expositionem beati Job jam dudum me fecisse cognovisti, sanctitati vestræ transmittere curaverim.

R. Põsui adjutõrium.

Lectio vij.

Sancto ergo Præsule suæ Ecclesiæ restituito, vix enarrari possunt, quæ pro glória Dei proque eliminanda hæresi ariana laboravit. Hermenegildum enim, nepotem suum, Leovigildi regis filium, sermonibus suis haud solum ad fidei confessionem perdúxit, sed ut gloriõso sanguinis testimonio illam confirmaret, adéptus fuit. Inflammatus furõre pater in Leándrum et in omnes adhuc Ecclesias, exsilio eum mulcavit, et illas facultatibus et pastoribus orbatas reliquit. Nec tamen destitit cum fidei hostibus libere decertare. In ipso siquidem exsilio, ut frater suus Isidõrus testatur, duos libros eruditissime sanctarum scriptu-

rarum ditissimos scripsit, quibus eorum perfidiam confutavit. Affulsit tandem Ecclesiæ post illam nubem optata serénitas. Rex enim, cum in morbum incidisset, sub mortem in meliorem mentem (licet non ut oportebat) reversus, Leándrum cum aliis Episcopis ab exsilio revocari jussit, eique Reccarédi filii curam dedit. Defuncto patre piissimus rex Reccarédus, doctrinam, consilia et exempla Leándri secutus, ejus opera Gothos ad fidem converti mirabiliter fuit adéptus. Leándér ergo cum tam miram conversionem vidisset, Hispaniæ Episcopos in Toletanam synodum convenire omni sollicitudine promovit, quod et Reccarédus maxime curavit. In eo enim concilio duobus supra sexaginta Episcopis congregatis, et omni clero, primariis regni, etiam et ipso rege assidentibus, ariana hæresis fuit damnata et abjurata, et fides catholica ab omnibus unanimiter suscepta et uno ore laudata. Leándér igitur elegantissima concione Patribus de gentis conversione congratulatus est; multaque ad fidem et disciplinam Ecclesiæ sancientiam

tum in eodem concilio, tum in alio, quod postea Hispali celebravit, constituenda dispõsuit. Demum religione restituta et Ecclesiæ pace firmata, jam octogenario major, cum Ecclesiam quadraginta et amplius annos rexisset admirabili vitæ ac sanctitatis exemplo, migravit ad Dõminum. Sepultus fuit in basilica sanctarum Virginum Justæ et Rufinæ: postea ejus corpus in Hispalensem ecclesiam translatum est.

R. Iste est.

In III. Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio vij.

Cap. 5.

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Vos estis sal terræ. Quod si sal evanuerit, in quo salietur? Ad nihilum valet ultra, nisi ut mittatur foras et conculcetur ab hominibus. Et reliqua.

Homilia sancti Isidori Episcopi Hispalensis.

Ex lib. Sent. 26. et 42.

Quam doctrina, quam vita clarere debet ecclesiasticus doctor. Nam doctrina sine vita arrogantem reddit, vita sine doctrina inutilem facit. Sacerdotis prædicatio operibus confirmanda est, ita ut, quod

docet verbo, instruat exemplo. Vera est illa doctrina, quam vivendi sequitur forma. Nam nihil turpius est, quam si bonum, quod quisque sermone prædicat, explere opere negligat. Tunc enim utiliter prædicatio præfertur, quando efficaciter adimpletur. Unusquisque doctor et bonæ actionis et bonæ prædicationis habere debet studium. Nam alterum sine altero non facit perfectum: sed præcedat justus bene agere, ut sequenter possit bene docere.

R. Amavit eum.

Lectio viij.

Omnis utilis doctor pleribus subjectis ita se prestare debet atque insistere doctrinæ, ut, quanto claret verbo, tanto clarescat et merito. Nam quod Apóstolus Timotheo præcipit cum omni imperio docere, non hortatur ad tumorem superbiæ, sed ad bonam actionem et vitæ auctoritatem: videlicet ne libertatem perderet prædicandi, si bene doceret et male viveret. Unde et Dõminus: Qui solverit unum de mandatis istis minimis et sic docuerit, minimus erit in regno cælorum. Vides, quod auctoritate magisterii caret,

qui, quod docet, non facit. Sicut in numismate metallum, figura, et pondus inquiritur, ita in omni Doctore ecclesiastico, quid sequatur, quid doceat, quomodo vivat. Per qualitatem igitur metalli doctrina, per figuram similitudo Patrum, per pondus humilitas designatur. Qui vero ab his tribus discrepaverit, non metallum, sed terra erit. **R.** In medio.

Lectio ix. et Commem. Feriæ; alias erit sequens:

Lectio ix.

QUI præficitur ad regimen, taliter erga disciplinam subjectorum præstare se debet, ut non solum auctoritate, verum etiam humilitate clarescat. Sed tamen ita erit in eo virtus humilitatis, ne dissolvatur vita subditorum in vitis: atque ita auctoritas aderit potestatis, ne per tumorem cordis severitas existat immoderationis. Hæc est enim in Dei Sacerdotibus vera discretio, qua nec per libertatem superbi, nec per humilitatem remissi sunt. Hinc est, quod Sancti cum magna constantia redarguerunt etiam principum vitia, in quibus cum summa esset humilitas, loco tamen necessario libere transgressores justitiam increpabant. Aliquando subditis non oportet animo esse humiliores, quoniam facta subditorum judicantur a nobis, nostra vero Deus judicat. Agnoscat Episcopus, se esse conservum plebis, non dominum verum: Hoc caritas, non conditio exigit. **Te Deum.**
In ij. Vesp. a Capit. de seq. Comm. præc. et Fer.

tiæ increpabant. Aliquando subditis non oportet animo esse humiliores, quoniam facta subditorum judicantur a nobis, nostra vero Deus judicat. Agnoscat Episcopus, se esse conservum plebis, non dominum verum: Hoc caritas, non conditio exigit. **Te Deum.**

In ij. Vesp. a Capit. de seq. Comm. præc. et Fer.

OFFICIUM VOTIVUM S. Jacobi

Apost. Hisp. Patroni.

Ex concess. Clementis Papæ IX. recitandum in regnis Hisp. (ritu semid., atque extra Advent. Quadrage., Feriam ij. Rogat. et Vigiliis) singulis Feriis ij. non impeditis Festo ix. Lect. nec Officio Dñicæ anticipandæ.

Leo vero Papa XIII. die 24. Nov. 1884. indulgere dignatus est translat. hujus Officii a Feria ij. ad iij. itemque extensionem Officii ejusdem ad omnes illas Ferias indulto Clement. exceptas, et quas non excipit indult. generale diei 5. Julii 1883: ita tamen ut diebus in veteri indulto exceptis hodie liberum sit recitare Offic. votiv., aut feriale, vel Vigiliæ; diebus vero in eodem veteri indulto non exceptis, post-

hac recitari omnino debeat Offic. votiv., et non feriale, neque Sancti ritus simplicis. (S. R. C. 18. Februarii 1889.)

Omnia ut in Festo Translationis S. Jacobi die xxx. Dec. præter sequentia.

IN I. VESPERIS.

Añæ de Laud. Ps. ut in j. Vesp. de Communi Apostolorum; Capit., Hymn. **W.** et Añæ ad Magnif. ut in Translatione.

Oratio.

ESto Dómine plebi tuæ sanctificator et custos: ut beati Jacobi Apostoli tui munita præsidii, et conversatione tibi placeat, et secúrame deserviat. Per Dóminum.

In Quadrage. fit Comm. Feriæ.

In fine Hymn. ad Vesp. et ad Laud. dicitur:

Deo Patri sit glória,
Ejúsque soli Filio,
Cum Spiritu Paráclito,
Nunc, et omne in sæculum. Amen.

Ad reliquas Horas conclusio ut in Psalt.; ad Matutinum vero de Communi.

Patri, simulque Filio Tibique sancte Spíritus.

AD MATUTINUM.

Omnia de Communi, præter sequentia.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente, cum **R. R.** ut in Translatione.

In Quadrage. Lect. Sic nos existimet. de Communi.

MENSIBUS

FEBRUARIO ET MARTIO.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

MAcóbus Zebédæi filius, Joannis Apostoli germanus frater, Galilæus, inter primos Apostolos vocatus cum fratre, relictis patre ac rétib; secutus est Dóminum, et ambo ab ipse Jesu Boanérge, id est tonitruum filii, sunt appellati. Is unus fuit ex tribus Apostolis, quos Salvator maxime dilexit, et testes esse voluit suæ transfigurationis, et interesse miraculo, cum archisynagógi filiam a mortuis excitavit, et adesse, cum secéssit in montem oliveti Patrem oraturus, antequam a Judæis comprehenderetur. **R.** Assumpsit.

Lectio v.

Post Jesu Christi ascensum in cælum in Judæa et Samaria ejus divinitatem prædicans plurimos ad christiánam fidem perdúxit. Mox in Hispaniam profectus, ibi ali-

quos ad Christum convertit, ex quorum número septem postea Episcopi a beato Petro ordinati in Hispaniam primi directi sunt. Deinde Jerosolymam reversus, cum inter alios Hermógenem magum fidei veritate imbuisset, Heródes Agrippa Cláudio imperatore ad regnum elatus, ut a Judæis gratiam iniret, Jacobum liberare Jesum Christum Deum confitentem capitis condemnavit. Quem cum is, qui eum duxerat ad tribunal, fortiter martyrism subeuntem vidisset, statim se et ipse Christianum esse professus est.

R. Potestis.

Lectio ij.

AD supplicium cum raperentur, petiit ille a Jacobo veniam. Quem Jacobus osculatus: Pax, inquit, tibi sit. Itaque uterque est securi percussus, cum paulo ante Jacobus paralyticum sanasset. Corpus ejus postea Compostellam translátum est, ubi summa celebritate colitur, convenientibus eo religionis et voti causa ex toto terrarum orbe peregrinis.

R. Assumpsit Jesus.

In iij. Nocturno, Homilia ut in Translat. p. 20.

In ij. Vesp. Anæ de Laud. Festi, Psalmi de Comm. Apost. in ij. Vesp.

Officium de Immaculat. Concept. B. M. V.

Hispaniæ Patronæ.

Ex concessione Clementis Papæ XIII. recitandum in regnis Hispaniar. (ritu semid., atque extra Advent., Quadrag., Quat. Temp. et Vigil.) singulis Sabbatis non impeditis Festo novem Lect. nec Officio Dominicæ anticipandæ. Verum S. R. C. die 18. Febr. 1889 indulgere dignata est extensionem Officii ejusdem ad omnia illa Sabbata indulto Clementino excepta, et

quæ non excipit indultum gener. d. 5. Julii 1883; ita tamen ut diebus in veteri indulto exceptis, hodie liberum sit recitare Officium votivum, aut feriale, vel Vigil.; diebus vero in eodem veteri indulto non exceptis, in posterum recitari omnino debeat Officium votivum, et non feriale, neque Sancti ritus simplicis.

Offic. ut in Brev. pro universali Ecclesia.

Officium B. Mariæ V. de Guadalupe
Mexicanæ sive Regni Novæ Hispaniæ Patronæ.
DUPLEX MAJUS.

Quod in omnibus dominiis catholico regi subjectis sub duplici majori die ab Ordinariis assignanda (excepta Dominica) Benedictus Papa XIV. benigne concessit.

Omnia ut in Festis B. M. V. per Annum, præter seq.

Ad Magnif. Anæ. Elégi et sanctificavi locum istum, ut sit ibi nomen meum, et permaneant oculi mei et cor meum ibi cunctis diebus.

Oratio.

DEus, qui sub beatissimæ Virginis Mariæ singulari patrocinio constitutos perpetuis beneficiis nos cumuláre voluisti: præsta supplicibus tuis; ut, cujus hodie commemoratione lætámur in terris, ejus conspectu perfruámur in coelis. Per Dóminum.

In Quadrag. fit Commemoratio Feriæ.

In I. Nocturno.

De libro Ecclesiastici.

Lectio j. Cap. 24.

EGO ex ore Altissimi prodivi, primogenita ante omnem creaturam. Ego feci in coelis ut oriretur lumen indeficiens, et sicut nébula texi omnem terram. Ego

in altissimis habitavi, et thronus meus in columna nubis. Gyrum cœli circumivi sola, et profundum abyssi penetravi; in fluctibus maris ambulavi, et in omni terra steti: et in omni populo et in omni gente primatum habui: et omnium excellentium et humilium corda virtute calcavi: et in his omnibus requiem quæsvi, et in hereditate Dómini morabor. Tunc præcepit, et dixit mihi Creator omnium, et qui creavit me, requievit in tabernaculo meo, et dixit mihi: In Jacob inhábita, et in Israel hereditare, et in electis meis mitte radices.

R. Vidi speciosam sicut colúmbam, ascendentem desuper rivos aquarum: cujus inæstimabilis odor erat nimis in vestimentis ejus: * Et sicut dies verni circumdabunt eam flores rosarum, et lilia convallium. **V.** Quæ est ista quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi, ex aromatibus myrrhæ et thuris? — Et sicut dies.

Lectio ij.

AB initio, et ante sæcula creata sum, et usque ad futurum sæcu-

lum non désinam, et in habitatióne sancta coram ipso ministrávi. Et sic in Sion firmáta sum, et in civitate sanctificáta similiter requiévi, et in Jerúsalem potéstas mea. Et radicávi in pópulo honorificáto, et in parte Dei mei heréditas illius, et in plenitudine sanctorum detentio mea. Quasi cedrus exaltáta sum in Libano, et quasi cypressus in monte Sion. Quasi palma exaltáta sum in Cades, et quasi plantatio rosæ in Jéricho. Quasi oliva speciósa in campis, et quasi plátanus exaltáta sum juxta aquam in plateis. Sicut cinnamómum et bálsamum aromatizans odórem dedi: quasi myrrha elécta dedi suavitatem odóris: et quasi storax et gálbanus et úngula et gutta, et quasi Libanus non incisus vaporávi habitatióne meam, et quasi bálsamum non mistum odor meus.

R. Quæ est ista quæ ascendit sicut auróra consurgens, pulchra ut luna, elécta ut sol? * Terribilis ut castrorum ácies ordináta? **V.** Filia Sion, tota formósa et suávis es, pulchra ut luna, elécta ut sol. — Terribilis.

Lectio iij.

EGO quasi terebínthus exténderam ramos meos, et rami mei honoris et grátiae. Ego quasi vitis fructificávi suavitatem odóris, et flores mei fructus honoris et honestatis. Ego mater pulchræ dilectiõnis, et timóris et agnitiõnis et sanctæ spei. In me grátia omnis viæ et veritátis: in me omnis spes vitæ et virtútis. Transite ad me omnes qui concupiscitis me, et a generatiõibus meis implemini. Spiritus enim meus super mel dulcis, et heréditas mea super mel et favum. Memória mea in generatiões sæculórum. Qui edunt me, adhuc esúrient, et qui bibunt me, adhuc sitient. Qui audit me, non confundétur: et qui operántur in me, non peccábunt. Qui elúcidant me, vitam ætérnam habebunt.

R. Quæ est ista quæ processit sicut sol, et formósa tamquam Jerúsalem? * Vidérunt eam filia Sion, et beátam dixerunt, et reginæ laudáverunt eam. **V.** Et sicut dies verni circúmdabant eam flores rosarum et lilia convállium. — Vidérunt. **Gloria Patri.** Vidérunt.

In II. Nocturno.

Sermo sancti Bernárdi Abbátis.

De verb. apocal. cap. 12.

Lectio iv.

IDÉLIS plane et præpotens mediátor Dei et hóminum homo Christus Jesus. Nec ipsa mûlier benedicta in muliéribus vidébitur otiosa: inveniétur équidem locus ejus in hac reconciliatióne. Opus est enim mediátore ad mediátorem Christum, nec alter nobis utílior quam María. Quid ad Mariam accédere trépudet humana fragilitas? Nihil austérum in ea, nihil terríbile. Quod si (ut vere sunt) plena magis ómnia pietátis et grátiae, plena mansuetúdinis et misericórdiæ, quæ ad eam pèrtinent, invéneris; age grátias ei qui talem tibi mediatricem benigníssima miseratióne providit. Omnibus ómnia facta est, ómnibus misericórdiæ sinum áperit, ut de plenitudine ejus accipiant univèrsi: captivus redemptionem, æger curatióne, tristis consolatióne, peccátor véniam, justus grátiam, Angelus lætítiam, déniq[ue] tota Trinitas glóriam.

R. Signum magnum ap-

páruit in cælo, mûlier amicta sole, et luna sub pèdibus ejus: * Et in cápite ejus coróna duódecim stellárum. **V.** Fundaménta ejus in montibus sanctis, diligit Dóminus portas Sion super ómnia tabernácula Jacob. — Et in cápite.

Lectio v.

MIRUM ea est, quæ velut álterum solem índuit sibi. Quemádmódu[m] enim ille super bonos et malos indifferénter órítur, sic ipsa quoque præteríta non discutit mérita; sed ómnibus sese exorbilem, ómnibus clementissimam, se præbet, ómniúm déniq[ue] necessitates amplissimo quodam miserátur afféctu. Nam et deféctus omnis sub ea, et quidquid fragilitátis seu corruptiõnis est, excellentissima quadam sublimitate præ ceteris ómnibus excédit et supergréditur creatúris, ut mérito sub ejus pèdibus luna esse dicátur. Amplectémur Mariæ vestigia, fratres mei, et devotíssima supplicatióne beátis illius pèdibus provolvámur. Tenéamus eam, nec dimittámus, donec benedixerit nobis. Virtus Altíssimi obumbrábit tibi. Nihil itaque mirum, si sub tali

umbráculo talis etiam a muliere sustineatur amictus. Mulier amicta sole. Induimini Dominum Jesum Christum. Quam familiaris ei facta es, Domina! Quam proxima, imo quam intima fieri meruisti! Quantam invenisti gratiam apud Deum! In te manet, et tu in eo; et vestis eum, et vestiris ab eo: vestis eum substantia carnis, et vestiris ab eo gloria suae majestatis.

R. Quae est ista quae progreditur quasi aurora consurgens: * Pulchra ut luna, electa ut sol? **V.** Quasi arcus refulgens inter nebulas gloriae, et quasi flos rosarum in diebus vernis. — Pulchra.

Lectio vij.

IN capite, inquit, ejus corona stellarum duodecim. Dignum plane stellis coronari caput, quod et ipsis longe clarior micans ornet eas potius quam ornatur ab eis. Quidni coronent sidera, quam sol vestit? Sicut dies verni circumdabant eam flores rosarum et lilia convallium. Quis illas aestimet gemmas? Quis stellas nominet, quibus Mariae regium diadema compactum est? Supra hominem est coronae hujus ratio-

nem exponere, indicare compositionem. In ea fere specie anno millésimo quingentesimo trigésimo primo mirabiliter picta Deiparae imago Mexici apparuisse fertur: quae inibi loci prope Urbem, ubi pio neophyto aedem sibi sacram prodigio dicitur designasse magnifico excepta templo, ingenti colitur populorum ac miraculorum frequentia. Quam propterea uti presentissimum adversus publicas privatasque calamitates praesidium, Archiepiscopus Mexicanus, ut reliqui etiam illarum partium Antistites, omnium ordinum consensu, in primariam adlegit Novae Hispaniae Patronam, ritèque electam Benedictus decimus quartus auctoritate apostolica declaravit, atque Officium proprium et Missam sub titulo beatae Virginis Mariae Guadalupensis recitari concessit.

R. Elégi et sanctificavi locum istum: * Ut sit ibi nomen meum, et permanent oculi mei et cor meum ibi cunctis diebus. **V.** Non fecit taliter omninationi et judicia sua non manifestavit eis. — Ut sit. Gloria Patri. Ut sit.

In III. Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio vij. Cap. i.

IN illo tempore: Exsurgens Maria abiit in montana cum festinatione in civitatem Juda. Et intravit in domum Zachariae, et salutavit Elisabeth. Et reliqua.

Homilia sancti Bernardi Abbatis.

De verb. Apocal. cap. 12.

MIrabatur Elisabeth personam venientis, dicens: Unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me? Commendabat et vocem salutantis, adjiciens: Ut facta est vox salutationis tuae in auribus meis, exsultavit in gaudio infans in utero meo. Et beatificabat fidem credentis: beata, inquit, quae credidisti. Magna quidem praecordia; sed et devota humilitas, nihil sibi passa retinere, in eum magis universa refudit, cujus in se beneficia laudabantur.

R. Felix namque es, sacra Virgo Maria, et omni laude dignissima: * Quia ex te ortus est sol justitiae, Christus Deus noster. **V.** Ora pro populo, interveni pro clero, intercede pro devoto femineo sexu:

sentiant omnes tuum juvenem, quicumque celebrant tuam sanctam festivitatem. — Quia.

Lectio viij.

TU, inquit, magnificas matrem Domini; sed magnificat anima mea Dominum. In voce mea filium perhibes exultasse in gaudio: sed exsultavit spiritus meus in Deo salutari meo: et ipse quoque tamquam amicus sponsi gaudet ad vocem sponsi. Beata esse dicis, quae credidi; sed credulitatis et beatitudinis causa respectus est supernae pietatis; ut ex hoc magis beatam me dicant omnes generationes, quia ancillam humilem et exiguum respexit Deus. Verumtamen numquid putamus, fratres, Elisabeth sanctam in eo, quod per Spiritum utique loquebatur, errasse? Absit. Beata plane quam respexit Deus, et beata quae credidit. Hic enim magnus divinae respectiois existit fructus.

R. Beata me dicent omnes generationes: * Quia fecit mihi Dominus magna, qui potens est, et sanctum nomen ejus. **V.** Et misericordia ejus a progenie in progenies timentibus eum. — Quia. Gloria Patri. Quia.

In Quadrag. Lectio ix.
et Commem. Feriæ.

Lectio ix.

Ineffabili siquidem officio Spiritus superueniens tantæ humilitati magnanimitas tanta in secretario virginei cordis accessit, ut quod videlicet nec humilitas tanta minuit magnanimitatem, nec magnanimitas tanta humilitatem. Sed cum in sua æstimatione tam humilis esset, nihilominus et in promissionis credulitate magnanimis; ut quæ nihil aliud, quam exiguum sese reputabat ancillam, ad inscrutabile sacramentum nullatenus se dubitaret electam, et veram Dei et hominis genitricem crederet mox futuram. Jam te, Mater misericordiae, per ipsum sincerissimæ tuæ mentis af-

fectum, tuis jacens provoluta pedibus luna, mediatrix sibi apud solem justitiæ constitutam devotis supplicationibus interpellat? ut in lumine tuo videat lumen, et solis gratiam tuo mereatur obtentu, quam vere amavit præ omnibus, et ornavit stola gloriæ induens, et coronam pulchritudinis ponens in capite tuo.

Te Deum laudamus.

Ad Bened. Añã. Non fecit taliter omni nationi, et judicia sua non manifestavit eis.

In ij. Vesperis, omnia ut in Festis B. M. V. per Annum, excepta Añã ad Magnif. Leva in circuito oculos tuos, et vide: Omnes isti congregati sunt, venerunt tibi: filii tui de longe venient, et filiae tuæ de latere surgent.



Benedictio et Impositio Scapularis Caerulei

B. Mariae V. Immaculatae.

PROPR. CLER. REGUL. THEATINORUM.

QUI suscepturus est scapulare, genuflectat: et Sacerdos superpelliceo et stola alba indutus, capite detecto, dicat absolute:

V. Adjutorium nostrum in nomine Domini. **R.** Qui fecit caelum et terram.

V. Dominus vobiscum. **R.** Et cum spiritu tuo.

Orémus.

Domine Jesu Christe, qui tegimen nostræ mortalitatis induere dignatus es, tuæ largitatis clementiam humiliter imploramus: ut hoc genus vestimenti, quod in honorem et memoriam Conceptionis beatæ Mariæ Virginis immaculatae, nec non ut illo induti exorent in hominum pravorum morum reformationem, institutum fuit, bene **+**dicere digneris; ut hic famulus tuus, qui eo usus fuerit (vel hæc famula tua, quæ eo usa fuerit; si plures suscepturi sint, dicatur: hi famuli tui qui eo usi fuerint; vel: hæc famulae tuæ quæ eo usæ fuerint, eadem beata Maria Virgine intercedente, te quoque induere merea-

tur (vel mereantur). Qui vivis et regnas in sæcula sæculorum.

R. Amen.

Postea Sacerdos nihil dicendo aspergit scapulare vel scapularia Aqua benedicta: deinde illud imponit, dicens:

Accipe frater (vel soror) scapulare Conceptionis beatæ Mariæ Virginis immaculatae: ut, ea intercedente, veterem hominem exutus (vel exuta) et ab omni peccatorum inquinamento mundatus (vel mundata), ipsum perferas sine macula, et ad vitam pervenias sempiternam. Per Christum Dominum nostrum.

R. Amen.

Postea subjungit:

Et ego, ex facultate mihi concessa, recipio te (vel vos) ad participationem bonorum omnium spiritualium, quæ in Clericorum Regularium Congregatione ex gratia Dei fiunt, et quæ per sanctæ Sedis apostolicæ privilegium concessa sunt.

In nomine Patris, et Filii **+**, et Spiritus sancti. **R.** Amen.

Describat nomen ejus (vel nomina eorum) in libro consueto : et dicat, trina vice, flexis genibus, Orationem sequentem vulgaris ermone una cum ascripto (vel ascriptis).

Laudes ac gr̄atiæ sint omni momento sanctissimo ac divinissimo Sacramento.

Et benedicta sit sancta et immaculata Conceptio beatæ Virginis Mariæ.

Hortetur fideles ut hæc elogia sæpe sæpius reptant ad Indulgentias 200 dierum consequendas. (Rescr. Pii VII. die 21. Nov. 1793; Decr. Pii VII. die 30. Junii 1818.)



Calendarium.

November.

XXVII. S. Gregorii Thaumaturgi Episc. Conf. semiduplex. (D. f. ex XVI. hujus.) . . . 1

December.

I. S. Elisabeth Viduæ, dupl. (D. f. e XIX Nov.) . . . 1
 IV. S. Barbaræ Virg. et Mart. duplex . . . 2
 VIII. Immac. Conceptionis B. M. V. duplex j. classis cum Octava . . . 3
 IX. S. Leocadiæ Virg. et Mart. duplex. Commem. Octavæ. . . 3
 X. Translat. almæ domus Lauretanæ, dupl. maj. Commem. S. Melchiadis Papæ et Mart. . . 5
 XI. S. Damasi Papæ et Conf. dupl. Comm. Oct. . . 5
 XII. S. Eulaliæ Virg. et Mart. dupl. Comm. Oct. . . 5
 XVIII. Expectationis Partus B. M. V. duplex majus. . . 12
 XX. S. Dominici Sylensis Abbatis, duplex . . . 12
 XXIII. S. Nicolai Factoris, Conf. duplex . . . 14
 XXX. Translat. S. Jacobi Apost. duplex majus. Commem. Octavæ . . . 17

Januarius.

XVI. S. Fulgentii Episc. Conf. et Eccl. Doct. duplex ij. classis . . . 23
 XXI. SS. Fructuosi, Augurii et Eulogii Mart. dupl. . . 26
 XXII. S. Vincentii Levitæ et Mart. duplex ij. classis cum Octava . . . 28
 Die I. libera post 22 Jan. S. Anastasii Mart. semiduplex . . . 38
 XXIII. S. Ildephonsi Episc. et Conf. duplex ij. classis cum Octava. Commem. S. Emerentianæ Virg. et Mart. . . 38
 XXIV. Descensio B. M. V. duplex ij. classis . . . 38
 XXVI. S. Paulæ Viduæ, semid. Commem. Octavæ . . . 43
 XXVIII. S. Juliani Episc. et Conf. duplex ij. classis cum Octava. Commem. S. Agnetis secundo. . . 45
 XXIX. Octava S. Vincentii Levitæ et Mart. duplex. Commem. Octavæ . . . 46
 XXIX. S. Valerii Episc. et Conf. duplex. Commem. Octavæ. . . 49
 XXX. Octava S. Ildephonsi, duplex. Commem. S. Juliani . . . 52
 XXXI. S. Petri Nolasci Conf. duplex ij. classis . . . 54

Februarius.

I. S. Cæcilii Episc. et Mart. duplex. Commem. Octavæ. . . 54

III.	Septima die infra Octavam S. Juliani, semiduplex. Commem. S. Blasii Episc. Mart.	57
IV.	Octava S. Juliani, duplex.	59
XII.	S. Eulaliæ Virg. et Mart. duplex	61
XIV.	S. Joannis Baptistæ a Conceptione, Conf. dupl. Comm. S. Valentini Presb. Mart.	64
XXV.	S. Sebastiani ab Apparitione, Conf. duplex	67

Martius.

I.	S. Rudesindi Episc. et Conf. duplex	69
III.	SS. Hemetherii et Celedonii Mart. duplex	70
VI.	S. Ollegarii Episc. et Conf. duplex	74
VIII.	S. Joannis de Deo, Conf. duplex ij. classis. (Ut in Brev.) — Lect. j. Noct. Beatus vir. de Communi.	76
XIII.	S. Leandri Episc. Conf. et Eccl. Doct. duplex ij. classis	76
	Officium votivum S. Jacobi, Hisp. Apost. et Patroni, semiduplex	80
	Officium de Immac. Concept. B. M. V. Hisp. Patron.	82
	Festum B. M. V. de Guadalupe, duplex majus	83



Proprium Sanctorum

❖ Mexicanorum. ❖

PARS HIEMALIS.

DIE I. DECEMBRIS.

S. Eligii

Confessoris et Episcopi.
Duplex.Omnia de Communi
Confessoris Pontif. præ-
ter sequentia.

Oratio.

TRibue nobis, quæsumus Dómine, singularem sancti Eligii, Confessoris tui atque Pontificis, caritatem imitari, ut illius mérita in spiritu et veritate celebremus. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Filium tuum.

In j. Nocturno, Lectio-
nes de Scriptura occur-
rente.

In II. Nocturno.

Lectio 1b.

Ligius Lémovici a catholicis piisque paréntibus religiose educatus, auri laborandi artem adolescens didicit. Mánuum labores cum pietatis operibus mire conjungens, quidquid temporis a labore supererat, in divinis frequentandis officiis, in sacrórum librórum audienda lectione, inque ea attento ánimo recolenda insumebat. Ætate autem ac sanctorum scientia proficiens, christianas virtutes impensius excóluit: suum enim corpus oratione et jejuniis in